



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

41. An si quis vicit ludentem cum falsis chartis, vel taxillis, teneatur ad restitutionem? Et an si tractus ad ludum lucretur à trahente, teneatur lucrum restituere, sicut si trabens lucraretur? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Respondeo si haec ratio esset alicuius momenti, possemus etiam dicere quod cecitas facit etiam dicere illa verba, lude, ego enim tibi condono quicquid a me lucratus fueris.

8. Tandem imperitus potest sponte sua ludere cum peritior, quam sit ipse, gratia maiorem peritiam coludo assequendi, & gratia recreationis capiendae, quamuis sciat se in ludo vincendum. Ergo.

RESOL. XXXIX.

An si verbi gratia Petrus dubitet, utrum Paulus, cum quo ludit esset lucrativus, si ipse fraudes non adhibuisset, teneatur ex hoc aliquid restituere? Et adverteatur, quod si aliquis ludens dubius sit, an ipse ob fraudem acquisierit aliquid lucrum, teneatur ex dubio perseverante ad restitutionem eius? Ex part. 4. tract. 3. Rel. 75.

§. 1. Pro affirmativa sententia Bonacina de restit. disp. 2. q. 3. p. 1. n. 7. adducit Navarrum, & Reginaldum. Sed ipse merito ibi contrarium docet. Dico igitur in tali casu Petrum teneri solum ad restitutionem rei acceptae per fraudem adhibitam in ludo, non vero ad restitutionem rei suae, quam Paulo tradidisset si perdidisset: nam in dubio melior est conditio possidentis. Ita etiam Salas tract. de ludo, dub. 7. n. 3. Lessius lib. 2. c. 26. dub. 2. & Filiucius tom. 2. tract. 37. c. 7. n. 103. ubi tamen advertit, quod si aliquis ludens dubius sit, an ipse ob fraudem acquisierit aliquid lucrum, teneatur ex dubio perseverante ad restitutionem eius, quia in dubio non potest acquirere, & melior est conditio alterius possidentis.

RESOL. XL.

An qui ob fraudes in ludo factas teneatur restituere, possit deducere, quae dedit pro charis, & pro lucernis, & pro bellariis, & pro Mumia, ut vulgo dicitur? Et quid de eo quod deducitur ex communi pecunia ex aliquibus manibus pro diversis causis, & casibus? Et quid est dicendum, si bona fide lucratus fuerit? Et an si quis lucratus est ab eo, quem qui traxit ad ludum, poterit deducere de illius expensis? Ex p. 7. r. 9. Rel. 54.

§. 1. Ad hoc Dubium respondet Trullench in Decal. 2. r. 1. lib. 7. c. 27. dub. 3. n. 7. ubi sic ait, Qui scienter fraude usus est in ludo teneri etiam restituere id, quod ex ludo dedit amicis, id est, de baratis, secus si bona fide lucratus fuerit, quia illud bene haec consumpsit. Deinde iniuste lucrans, non tenetur restituere id quod deducitur ex communi pecunia ex aliquibus manibus, in quibus est aliqua copia pecuniae appositae, quia illud non est bene nec male lucratum, nec tenetur restituere, quicquid consumptum est in ludo, vel datum alicui de communi consensu ludentium, v.g. quod exhibetur ad communem usum utriusque, & ad solvendum ludi iudicij, chartas, candelas, domum, aut alteri illic inferuenti, aut etiam saccharo condita, de quibus emendis, ac dandis, à lucrante pactum inter se intere: quia omnia haec data sunt utroque consentiente: quod procedit etiam, quando is, qui perdit, non est sui iuris, modo consumpta sunt in ea quantitate, de qua ille poterat disponere. At, si quis lucratus est ab eo, quem vi traxit ad ludendum, non poterit deducere has expensas, quia attractus non censetur illis consentire. Ita Trullench sed circa praesentem Questionem ne deseras videre Sanchez in Opus. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 20. per totum, & post illum de Lugo de iust. om. 2. disp. 3. §. 1. Rel. 2. §. 3. n. 14.

RESOL. XLI.

An si quis vici ludentem cum falsis chartis, vel taxillis, teneatur ad restitutionem? Et an si traxerit ad ludum lucratur à trahente, teneatur lucrum restituere, sicut si trahens lucraretur? Et quid est dicendum, si quis traheret ad ludum aliquem ob solam importunitatem? Et quid, si aliquis collusor vellet dimittere ludum, & alter nollet, dicendo non solviturum, nisi ludum sustineat, & alter ex verecundia perseveret? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Rel. 169.

§. 1. Impertinens forsitan videbitur alicui hoc dubium, & tamen affirmativam sententiam docuit Victoria, quem citat & sequitur Lopez lib. 2. de contract. c. 22. Garzias de contract. p. 2. c. 19. Alcozer de ludo c. 21. Azcuedus lib. 3. de recopil. tit. 7. l. 2. n. 83. & alij, quia cum ludus sit contractus, debet in ipso omnimoda aequalitas servari: ergo vel neuter, vel uterque ludentium lucrari potest. Sed in nostro casu ludens cum falsis chartis, & taxillis non potest lucrari, ergo neque alter collusor.

2. Sed negativam sententiam sustinendam esse putato, quam tuctur D. Thomas in 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. D. Antonius 2. p. tit. 1. c. 23. §. 3. Sylvester v. Ludus, q. 13. Tabiena v. Restitutio, q. 17. Palacios Rubeos rubr. de donat. §. 8. l. n. 6. Henriquez lib. 7. c. 35. n. 6. Aviles in l. Praetorium c. 29. glossa Leyes n. 4. & alij, quia in nostro casu inaequalitas procedit ex culpa alterius ludentis; ergo non obstat quin eius collusor possit lucrari, qui impedimentum non apponit ex parte sua, & ideo dicendum quod si traxerit ad ludum lucratur à trahente, non tenetur ipse lucrum restituere, sicut si trahens lucraretur.

3. Notandum est etiam hic obiter Petrum, verb. gr. communiter non teneri restituere ob solam importunitatem, cum qua traxit aliquem ad ludum, eo quod illi obicitur ob miseriam non ludere, &c. Ita probabiliter Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 10. n. 10. Alcozer de ludo c. 21. Garzias de contract. p. 2. c. 19. Licet aliqui magis probabiliter contrarium asserant, ut ipse Sanchez in Opus. 1. r. 1. lib. 1. c. 8. dub. 9. n. 6. Caietanus & Bañez in 2. 2. q. 32. a. 7. Medina in summ. lib. 1. c. 4. §. 28. Sotus de iust. lib. 4. q. 5. a. 12. & alij. Et ideò dicendum est si aliquis collusor vellet dimittere ludum, & alter nollet, dicendo se non solviturum, nisi ludum sustineat, vel dicat quod tenetur sustinere ludum, & alter ex verecundia perseverat, &c.

Sup. hoc in fia in Ref. 44. §. vltim. cursum ad lin. 4.

Sup. hoc ibidem & in aliis eius primae not. Sup. hoc in Ref. seq. §. Hanc ad lin. 4 & infra in Ref. 43.

Sup. hoc in duabus Ref. seqq. & in alio §. earum primarum annotat.

RESOL. XLII.

Vir quidam Nobilis, cum in ludo taxillorum magnam pecuniarum summam perdidisset, coegit socium ad restituendum in ludo, unde postea pecuniam perditam acquisivit, imò plusquam perdidisset, queritur, an teneatur ad restitutionem? Et an idem dicendum sit de illo, qui traxit alterum ad ludum minus, & precibus importunis, & c. Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. Rel. 27.

§. 1. Casus hic frequens est, & erit Confessarius multum utilis. Affirmativè dicto viro nobili respondit quidam Theologus, & ita in terminis tenent hanc sententiam absolute Claus Regia lib. 11. c. 13. n. 1. Maldetus in 2. 2. tr. 1. c. 12. dub. 3. Fernandez in suo ex am. Theol. mor. p. 1. c. 15. §. 6. nu. 6. & ex nostris P. Molfesius in summ. 2. r. 12. n. 59. Cardinalis vero Toletus lib. 5. c. 27. num. 7. quem sequitur noster P. Megala 2. 2. lib. 2. c. 19. q. 2. n. 16. obligant hanc cogentem, & ita lucrantem restituere eam tantum partem, quam supra quod perdidit, lucratus est.

Sup. hoc in h. no. praed. Ref. & in Ref. seq. & in tom. 5. tr. 7. Ref. 16. §. vlt.

i. Hart